

rium sicut destruxit, quod impossibile est artificialiter fieri. Bene quidem ars destruitur à capite vsque ad pedes: id est, Mercurium à pede ædificans vsque ad caput in subtiliori forma cum substantia naturæ, quæ antea fuit, ars concedit. Sic diuiduntur species rerum cum in aliam formam quàm antea fuerunt, transmutantur. Ut testatur Philosophus, dicens: Sciant artifices Alchemiæ species rerum permutari non posse (quod quidem verum est) nisi in primam materiam transmutentur vel conuertantur: id est, in argentum viuum. Et vltra hoc non consulit. Secus fieri est impossibile.

# LIBER DE ARTE CHIMICA INCERTI Authoris.

## DE GENERATIONIBVS Metallorum in Visceribus Terræ. CAPVT I.



M N I V M rectè Philosophantium eadem est opinio atque sententia, cuncta Metalla vapore sulphuris ac argento viuo generari. Quoniam cum pinguedo terræ calefacta, aquæ substantiam adinuenerit aliquantulum globatam, eandem tum virtute naturali, tum corporum cœlestium radijs atque conatu cœli, secundum puritatem aut impuritatem vtriusq; aurum, argentum, cuprum, stannum, ferrum & plumbum; corpora illa speciosissima in venis terræ consolidauit.

## De natura & arte. CAP. II.

Sunt autem duæ in hac Mundi testudine causæ effectrices, natura & ars. Natura quotidie nouas producit res atque generat: Ars verò illarum rerum similitudines per conceptum in se imprimens, naturæ vestigia lineationesque miro modo prosequitur. Ita vt si ingenium hominis in quibusdam aliquando non opitule-

A